



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 2. De quodam loco è libro secundo Rhetoricorum Aristotelis,
aduersus Petri Victorij sententiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

De quodam loco è libro secundo Rhetoricorum Aristotelis, aduersus Petri Victorij sententiam.

CAPVT II.

AEQVIORRE animo se puniri ferunt, quicunque se, qui puniantur, dignos putant. Quocirca Aristoteles libro secundo De Arte rhetorica, inter ea quæ ad mitigandum animum pertinent, ponit id quoque, vt iis qui sibi factam iniuriam censent, ostendamus, ipsos priores in iniuria inferenda fuisse, & meritò ipsis contingere ea de quibus queruntur. Ita enim ex opinione iniuriæ nascitur, quare si desinent putare, iniuriam sibi fieri, irasci desinent. Sed in eius rei tractatione quædam verba sunt, quorum sententiam Victorium assecutum esse non existimo. Sunt autem hæc: Διὸ τῷ λόγῳ δεῖ περιλάζειν ἀγανάκτων ἢ ἡπτόν καὶ ἀφροσύνης ἢ οἱ δέλοισι. quæ ita exponuntur à Victorio: Ne facile irascamur, & ex tenui quaque ac sepe iniusta causa accendimur animo, qua ex re magna sepe mala exoriuntur, præcipit, quo modo nos gerere debeamus. Ne temerè igitur, inquit, in alios irruamus, non est cunctandum ratione animum præparare, & quasi ante motum illum castigare: hæc enim causa est, cur serui malè mulctati æquo animo ferunt, nec valdè indignantur: antea enim iniquam suam conditionem cogitantes, tolerandis miseris se præpararunt: Id autem apud Plautum in milite seruum dicere Periplectomenus tradit. Nam homini seruo suos dominos habere oportet oculos, & manus, orationemque. Hæc Victorius, quæ an vera sint, nescio. mihi quidem non videntur. Credo autem hoc Aristotelem dicere: Cùm reapse punire aliquem volumus, prius eum oratione esse castigandum, atque efficiendum, vt ipse planè intelligat, quasiq. oculis cernat, se commeritum pœnam.

N 2

Nam

ut Mureti
ia Lektionen
LII
25

Nam & serui minus indignè ferunt supplicia, quæ
ipsis sumuntur, si hoc modo cum eis agamus.

Collatio loci cuiusdam è Phædro Platonis cum eiusdem loci interpretatione Ciceroniana.

CAP. III.

NOBILEM illum Platonis è Phædro locum, ubi
animorum immortalitas necessaria ratione pro-
bati creditur, Cicero, ut notum est, & in libris De
Rep. & in primo Tusculanarum disputationum in-
terpretatus est. mihi autem hoc loco decretum est
cum Platonis verbis, Ciceronis interpretationem
quàm diligentissimè potero, contendere. puto enim
cùm apud vtrumque nonnulla haud satis emendate
legantur, ex hoc collatione aliquid emergurum. Plato
Πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος. τὸ γὰρ ἀκίνητον, ἀθάνατον. Ci-
cero, omissa propositione: *Nam quod semper mouetur
æternum est.* In quo illud obseruatione dignum putat
quod ἀθάνατος vertit æternum. quamuis enim Plato
animos non immortales modò faciebat, verùm etiam
æternos; neque quicquam apud philosophos immor-
tale sit, quod non sit etiam æternum: tamen hæc vo-
cabula vulgò distingui solent, cùm Cicero planè pro
eodem accipiat. Plato: τὸ δ' ἄλλο κινῆν, ἢ τὸ ἀκί-
νητον, πᾶσαν ἔχον κινήσεως, πᾶσαν ἔχει ζῶντος. Cicero
*Quod autem motum affert alicui, quòdque ipsum agitur
aliunde, quando finem habet motus, viuendi quoque finem
habeat necesse est.* Præclare omnino reddita hæc par-
videtur. cùm autem illa eiusdem verbi repetitio, ut
in Græca oratione nihil habet insuauitatis, in Latinis
sermone parùm elegans, neque satis dilucida fore vi-
deretur, varietate vitauit hoc incommodi: *motum af-
ferre, dicens, pro mouere: & agitari, pro moueri.* sed
illud